(2.)

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
DE
FEBRE PUERPERARUM.

QVAM
SUB AUSPICIIS
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI
DNI GUILIELMI IX.
HASSIAE LANDGRAVII REL.
INCLYTI
MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
PRO GRADU DOCTORIS
MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS
OBSTETRICIAE
PUBLICE DEFENDET
HENRICUS FRIDER. GUILIELM. ESSKUCHEN
Harla-Haſſus.

Die XII Martii CIↃIↃCCLXXXXVI.

MARBURGI-CATTORUM,
LITERIS NOVAE TYPOGRAPH. ACADEM.

GRATIOSAE
MEDICORUM FACULTATIS
MARBURGENSIS

DOMINIS PROFESSORIBUS

EXPERIENTISSIMIS

LONGEQVE CELEBERRIMIS

PRAECEPTORIBUS SUIS MERITISSIMIS

AD CINERES USQUE DEVENERANDIS

OB

MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA

HANCCE DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

SACRAM VULT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Tam multis quidem de Febre puerperarum ſcriptis, ſed tam diverſis et ſibi contrariis, id negotii mihi dari credidi, ut, quaecunque alii obſervarunt, vel quae ſparſa in libris medicis iacent, hic collecta proferrem, quaeſtioni ſubiicerem, et quantum in viribus meis, verum ab hypotheſibus purgarem. Arduum opus eſt, cui elaborando cum vix par ſit multiplex medici experientia, nemo a iuvene, quem mos Academiae ſcribere iubet, omnibus numeris confectum poſcet.

Hanc

Hanc febrem periculoſiſſimam omnium eſſe nemini ignotum eſt. Quot puerperas quotidie rapiat ex epidemiis frequenter graſſantibus conſtat. Pariſiis in noſocomio Hotel de Dieu 1746 vix una ex viginti convaleſcebat, 1) epidemia huic ſimilis 1774 iterum eodem in noſocomio ſaeviit 2). Nec non Cl. Swietenius huic non alienam deſcribit, ubi ex vi-

1) Vid. Memoires de l'Academie des ſciences 1746. Hiſtoire des maladies epidemiques de 1746, obſervées à Paris en même tems, que les differentes temperatures de l'air. Par M. Malavin, p. 160.

2) Vid. Journal de Médicin 1782 Novembres pag. 448 Memoire ſur la maladie qui a attaqué en différents tems les femmes en couche ä l'hotel de Dieu de Paris.

viginti una diem obibat 1) imo inclyto Selle ex viginti, octo exſpirabant 2).

Medicinae practico haec contemplanti res maximi momenti erit, naturam et cauſas huius febris terribilis perſcrutari et curationem convenientem ſtatui aptare. Hanc ob cauſam etiam complicationes huius febris e.g. illam gaſtrici cum inflammatoria et nervoſa, et iterum differentiam gaſtrici et diviſionem ſuam in bilioſam et mucoſam, exponere potuiſſem. Anguſtia temporis et ſpatii autem, cum diſſertationem, non librum

1) Vid. van Swieten Commentar Tom IV, pag. 611.

2) Selle neue Beiträge zur Natur und Arzneiwiſſenſchaft, T. I et II.

ſcribendi finis meus erat, plura de complicationibus diſſerere interdicebant.

Ceterum ſi non plane iuſtis rerum aeſtimatoribus displicuiſſe cognovero, uberrimis laborum meorum fructibus fruar.

Accipias igitur L. B. has primitias ſtudii mei, rogoque te, ut, ſi non ſemper rem acu tetigerim, nequaquam iuſto acrius me reprehendas.

Priusquam me autem ad febrem puerperarum ipſam convertam, auctores quosdam, qui ſuper hac ſcripſerunt enumerare mihi liceat.

Aſhtm Diſſert. de febre puerperarum, Edinburg 1787.

a Berger Diſſ. de febribns puerperarum, Frcf. 1733.

Bur-

Burſerius Inſt. Med. pract. P. 1. p. 519.
Butter Account of puerperal Fevers, Lond. 1775. Vid. Tode mediciniſch-chirurgiſche Bibl. V. p. 238.
Clarke in Journal de Med. 1791. Fevr. n. 2.
Denham Abhandl. von dem Fieber der Kindbetterinnen, Altenb. 1777. 8.
Doublet Nouvelles recherches ſur la fievre puerperale, Paris 1791.
Fauken, das in Wien 1771 und 72 anfallende Fäulungsfieber, Anhang A. D. B. XIX. p. 550.
Grant chroniſche Krankheiten, p. 59.
Gruner Diſſ. de Febre puerper. Jen. 1787.
Hufeland in Stark Archiv für Geburtshülfe III. n. 2.
Hulme on the puerperal fever, London. 1672. 8.
Johnſton Diſſ. de Febre puerperali, Edinburg 1779.
Kirkland Verſuche über die Kindbettfieber, Gotha 1777.
Leake Bemerkung über verſchiedene Krankheiten der Kindbetterinnen, 1775. 8.

Man-

Manning Treatiſe on fem. diſeaſes. Aus. Abhandl. für prakt. Aerzte, III. B. p. 734.

Nolte Diſſ. de Febre puerperarum, Goett. 1785.

Oſiander Beobachtungen, P. 1. p. 70.

Reil Diſſ. de febre puerperarum, Halae 1791.

Richter Beiträge zur practiſchen Fieberlehre, 1795. p. 388.

de la-Roche Recherches ſur la nature et le traitement de la fievre puerperale, Paris 1783. 12.

Selle neue Beiträge I. p. 45. II. 46. III. 94.

Stoll aphoriſ. de febribus, pag. 287.

— — ratio medendi II. p. 68.

Strother criticon febrium, Lonp. 1718.

Vogel Handbuch, P. II. p. 248.

Walsh practiſche Bemerkungen über das Kindbetterinnenfieber, Leipzig 1788.

White Behandlung der Schwangern und Kindbetterinnen, Leipz. 1755.

Zahner Obſ. med. pract. ; febr. puerperar. Mannh. 1786.

De

DE FEBRE PUERPERARUM.

§. 1.

Etſi in literis prae omnibus neceſſario res tractanda definienda ſit, in plurimis medicis tamen inpoſſibile eſt, ut in febre puerperarum, quae tantum deſcribi poteſt.

§. 2.

Febris nunc inflammatoria nunc gaſtrica, putrida aut nervoſa, quae puer-

puerperas plerumque a ſecundo uſque ad decimum quartum diem poſt partum cum horrore, capitis dolore, anxietate, nauſea, vomitu, magna debilitate, ſequenti aeſtu, et praeſertim dolore abdominis totius, hypogaſtricae et uterinae regionis maxime, tanta ſaevitia invadit, ut attactum leviſſimum aegrae extimeſcant, febris puerperalis dicitur.

§. 3.

Hanc febrem non novam 1) ſed antiquitus jam notam fuiſſe Swietenius

1) Primus qui fuſius de ea ſcripſit et ſic denominavit ab Hulmio fuiſſe dicitur Eduardus Strother Londini opere an. 1718 edito ſuo, cui tittulus Criticon Febrium Cap. IX, pag. 222.

nius 1) et Whiteus 2) rectiſſime animadvertunt, unicuique etiam apparebit, qui primum et tertium epidemiarum Hippocratis librum legit, ubi octo hiſtoriae puerperarum ea laborantium referuntur. 3)

§. 4.

Antequam autem ad deſcriptionem huius febris progrediar, opiniones quasdam ſcriptorum, cum de natura, cauſa et eius curatione valde diſſentiant, attingere,

1) vid. Boerhav. §. 1329.

2) vid. locum citatum.

3) Lib. I. epidem. ſect. III. Aegrot. IV. V. XI. Lib. III. ſect. I. Aegrot. X. XI. XII. ſect. II. Aegrot. II. XIV.

re, operae mihi pretium eſſe videtur. 1)

§. 5.

Tiſſot 2) Smellie 3) Kirkland 4) F. Hofmann 5) F. Plater 6) E. John-

ſtone

---

1) Burſenius T. I. p. 522. ſeq. optime opiniones et argumenta ſcriptorum de hac febre examinavit et refutavit.

2) vid. Avis au peuple ſur la ſanté, ou Traité des maladies les plus frequentes 1767.

3) vid. Treatiſe on the theorg and practic of Midwifery.

4) vid. Treatiſe on child-bed Fevers and on the methods of preventing them Lond. 1774.

5) vid. Medic rational. ſyſtematic. Tom. IV. ſect. II.

6) vid. Praxis medic. Baſil. 1602. Tom. II. cap. 13.

ſtone 1) et Joh. Burton 2) inflamationem uteri cauſam huius febris eſſe contenderunt.

§. 6.

Hulmius et Leakius autem fidentiſſime ſtatuunt ſymptomata uteri inflammati a febre puerperali toto coelo differre, in puerperis enim in illa demortuis uterum naturaliter conſtitutum atque illaeſum, omentum contra et inteſtina tenuia inflammata et gangraenoſa invenerunt. Walther illis etiam adſentit.

Praeterea Frank et Leake teſtantur, puerperas ſine ullo dolore preſſum

1) vid. Duncan's Medical Comment. 1780. P. I. p. 98.

2) vid. Eſſay towards a complete new ſyſtem of Midwifery, Lond. 1751. P. V.

ſum ſuper ſymphyſin oſſium pubis hac in febre ferre. Quare autem metriti extra partum per hemorrhagiam orta, febris puerperalis non adparet?

Ceterum inflammationem uteri interdum multum ob hanc febrem excitandam conferre, perſpicuum eſt. 1)

§. 7.

---

1) Whiteus ipſe non negat pag. 206. hac in febre uterum interdum inflammatione et gangraena tentari. vid. etiam El. Swietenium in Miſcell. Natur. curioſor. Dec. I. Ann. 2. obſ. 85. Ann. 4. obſ. 195. Dec. 2. Ann. 4. obſ. 94. Dec. 3. Annot. 1. obſ. 22. Ann. 3. obſ. 125. ubi etiam uterum inflammatum vidit.

§. 7.

Hulme, 1) et Leake, 2) quia omentum et inteſtina ſemper inflammata repererunt ea accuſarunt 3).

§. 8.

Non ſemper autem hoc ex inflammatione oriri, eo conſtat, quod multae puerperae unice per emetica et alvum exonerantia incolumes evaſerint, Si hic cauſa princeps inflammatio fuiſſet, certe is exitus tam fauſtus,

1) vid. Hulme on the puerp. fev. London 1772. 8.

2) vid. Leake Bemerk. über Kindbetterin Leipz. 1775. 8.

3) Etſi ambo ſemper conſentiunt, eo tamen diſſentiunt, puod Hulme inflammationem a preſſu, Leake e contrario ab uteri preſſus abſentia oriri ponit.

ſtus, ſine ſanguinis miſſione 4) non exſtitiſſet.

§. 9.

Qui autem, hanc inflammationem interdum febrem puerperalem adiuvare, plane negant, nimis longe procedunt; enimvero cauſa primaria eſſe poteſt, namque perſpicuum eſt, quod interdum venaeſectiones et methodus antiphlogiſtica unica remedia febris puerperalis ſint.

§. 10.

---

1) Whiteus ex hiſtoria XI. puerperarum, cui nulli ſanguis miſſus ſit, febrem puerperalem non ex inflammatione omenti ac inteſtinorum oriri probat.

§. 10.

Hunter 1) et Walther 2) inflammationem peritonaei eſſe ſtatuerunt, et hanc opinionem eo veriſimilem facere voluerunt, quod peritoneum plurimum omnium viſcerum inflammatum invenerunt.

§. 11.

Non ſolum autem curatione huius febris cum emeticis et purgantibus, ſed etiam eo, quod peritonaeum non ſemper inflammatum reperitur, refutantur,

Nemo autem, qui ſectiones cadaverum horum Cl. virorum legit, cauſam

1) vid. Hunter med. comment. Edimburg. T. III. p. 349.

2) Walther de morbis peritonaei, p. 23.

ſam adiunctam multis in caſibus eſſe, inficias ibit.

§. 13.

Levret 1) Püzos 2) Deleurye) Doulcet 4) Doublet 5) Archier 6) Sau-

---

1) Vid. l'Art des Accouchements demontré par des principes de phyſique et de mechanique, edit. 3. Paris 1766.

2) Vid. Diſſert. ſur les dépôts laiteux ou le lait repandu par Puzos 1759.

3) Vid. Traité des Accouchements à Paris 1770. §. 158.

4) Vid. Journal des ſçavans pour l'année 1786.

5) Vid. Memoire ſur la fievre à laquelle on donne le nom de fievre puerperale, en Journal de Médecine. Decembre 1782. pag. 502.

6) Vid. Journal de Médecine etc. Avril 1784. pag. 472.

Sauvages 1) van Swieten 2) Selle 3) Hufeland 4) Fuchs 5) Gruner 6) Poulet le Roy etc, hanc febrem a lacte retento derivant.

Di-

---

1) Vid. Noſologia methodica, editio ult. Tom. II.

2) Vid. Commentar. in Boerhave Aphorism. Tom. IV. pag. 611.

3) Vid. Selle Medicina clinica und deſſen neue Beiträge zur Natur und Arzneiwiſſenſchaft, T. 1. 2. 3.

4) Vid. Hufeland Bemerkungen über Milchverſezzungen und Kindbetterinnenfieber in Starks Archiv für Geburtshülfe B. 1. St. 3. p. 61.

5) Fuchs Diſſ. de febre puerperarum, Jen. 1782.

6) Vid. Gruner Diſſ. de febre puerperarum Jen. 1781.

Dicunt, natura ita proviſum eſſe ut lac, quod ad uterum, ad foetum nutriendum feratur, ad mammas convertatur, ſi qua cauſa id neceſſarium opus turbetur, ſicque lactis ſecretio inhibeatur, nec lochiorum copia ſuppleatur, hanc febrem oriri neceſſe eſt.

§. 13.

Argumenta pro opinione eorum ſunt:

1. Quod foeminae, quae natis ubera non porrigant, in febres huiusmodi proniores; lactantes e contrario autem immunes et liberae ſint.

2. Quod lac in mammis congeſtum aut coactum et reſorbtum, in ſanguine fluitans, nunc ad interiorem, nunc exteriorem locum de-

delatum, non raro ibi conſiſtat, et tam tumores lymphaticos et inflammatorios, quam etiam abſceſſus efficiat.

3. Quod cadaverum ſectiones plane demonſtrent, in huiusmodi abſceſſibus ſerum copioſum et floccullos, lacti coaguato ſimiles, plerumque reperiantur.

4. Quod optimum ſymptoma ſit, ſi lac in puerperis copioſius ad mammas affluere et ſecerni incipiat, infauſtum e contrario ſi, lacte apparente, febris aliquando gravior accedat.

§. 14.

Hae opiniones autem per obſervata Albini 1) et Halleri 2) refellun-

1) Vid. Albinus de natura hominis §. 1504.
3) Vid. Hallerum in phyſiologia ſua.

luntur, qui recte contendunt, quod neque lac nec lacteus humor aut chilus ſit, qui ad uterum ad foetum nutriendum deferatur; ſed tenuiores ex ſanguine ſecreti liquores. Cum autem, ſi chylus verus eſſet, hic humor foetui nutriendo accomodatus, natura blandiſſimus et temperatiſſimus, matri noxius evadat? Nonne porro chylus ſanguini quotidie commiſcetur atque in eodem retinetur, ut, quae vita atteruntur, reparet? Quare is in ſanguine alii innoxie retentus, ſolis puerperis tam ferociter noceat?

§. 15.

Primum argumentum foeminas, quae natis ubera detrahunt, proniores in huiusmodi febres, quam lactantes eſſe generatim verum eſt; haud infrequenter autem etiam lactantes

cor-

corripiuntur et periclitantur. Lac copioſum quandoque ſecerni, eoque mammas ad poſtremum usque ſtadium febris turgere notum eſt. Haec igitur tantum argumentat, lactationem puerperis in integro ſtatu corporis conſentaneam et multis ex cauſis utilem eſſe, non autem, quod lactis retentionem ſicque febrem praecaveat.

§. 16.

Quod ſecundum argumentum attinet, his malis etiam lactantes, ſaepe crutiantur et ſi minus ab illis quam non lactantes, illi iterum ab aliis frequentius vexantur. Ceterum ex maiori vexatione non lactantium a tumoribus lymphaticis et inflammatoriis uti etiam abſceſſibus non lac retentum cauſam febris puerperarum eſſe concludi poteſt.

§. 17.

§. 17.

Tertium argumentum non firmius prioribus eſt; nam illa lacti ſimilis materia circa inteſtina aliaque viſcera in cavo abdominis inventa nihil aliud, quam pus ex omento, peritonaeo, vel aliis viſceribus dilapſum 1) eſſe videtur. Illud ſerum lactis autem, quod viderunt, vel pus tenue, ab inteſtinis inflammatis, expreſſum, vel lympha concreſcibilis illinc effuſa et corrupta aut chylus ex vaſis lymphaticis ſtillatim effuſus fuit. Adeo in abſceſſu juvenis, materia lacti ſimilis inventa eſt ubi nulla lactis ſuſpicio adeſſe poterat. 2)

§. 18.

1) Vid. Cl. Richa Conſt. epid. Taurin alter. pag. 40. aegen. 40.

2) Vid. Swietenium in Boerhave §. 76. et Burſerium, T. 1. pag. 529.

§. 18.

Quarto ex Argumento tantum ſequitur, ut functiones, ſi lac uberius ſecernitur, plerumque integrae ſint: medicum autem hanc ob cauſam puerperae gratulari et vice verſa, cum inopia et defectus lactis aberrationem oeconomiae animalis indicit, mala praeſagine poſſe, patet.

§. 19.

Ex his perſpicuum eſt opiniones horum Cl. virorum effuſas iuſtis ex limitibus ſuis, tantum coercendas eſſe, ut ponamus, lac, mora vel alia ex cauſa aceſcens, corruptum acre redditum aut repente et magna copia repulſum, febrim, imo dete-

riora

riora mala 1) procreare poſſe, ſicque interdum non rarum adiunctam non autem unicam cauſam eſſe.

§. 2C.

Hippocrates 2) Riverius 3) Sylvius 4) Willis 5) Sydenham 6) Strother

---

1) Apopexiam, pleuritidem, peripneumoniam, maniam etc. ex tetento lacte Sachtleben oriri vidit. vid. Bemerkungen und Beobachtungen über die Natur und Heilung der Milchverſetzungen In Stark's Archiv für die Geburtshülfe, R. 2. St. 2. p. 1.

2) Vid. Hippoc. epidem. Tom. III. ſect. II. aegrt. 2 et 14.

3) Vid. Riverii praxis medica Lugd. Batav. 1620.

4) Vid. Sylvii praxis medica lib. III. cap. 8.

5) Vid. Williſſi opera cap. XVI.

6) Vid. Sydenh. proceſſus integri in morbis etc.

ther 1) Mauriceau 2) de la Motte 3) Smellie 4) Tiſſot 5) van Swieten 6) Aſtruc 7) Boerhaave 8) etc. ſuppreſſionem fluxus lochiorum cauſam veriſimillimam eſſe cenſent.

§. 20,

---

1) Vid. Stroth. criticon febrium etc. Lond. 1718.

2) Vid. Mauriceau traité des maladies des femmes groſſes T. I. lib. III. cap. VIII.

(3 Vid. de la Motte traité complet des accouchemens liv. V. cap. 6.

4) Vid. Smellie treatiſe on the theorg and practic of widwifery.

5) Vid. Tiſſot avis au peuple ſur la ſanté, ou traité des maladies les plus frequentes, 1767.

6) Vid. van Swieten comment. in Boerh. Aphor.

6) Vid. Aſtruc traité des Malad. des femmes.

7) Vid. Boerhave Aphoriſm. §. 1329.

§. 21.

Ex omnibus id ſolum lochia unicas cauſas non eſſe probat, quod ſaepe tantum in fine febris demum ſupprementur imo per totum morbum fluant.

Interdum autem acrimonia et propenſione putreſcendi lochia nocere poſſunt, cum tam acres fiunt, ut partes vicinas inflamment et mordeant imo linteola ipſa, quibus excepti erant, rodant et conſumant 1) Unusquisque, haec conſiderans, facile diiudicabit, lochia etiam ſuppreſſa nonnunquam cauſam primariam febris puerperalis eſſe poſſe.

§. 7.

---

1) Vid. Burſerium in inſtitut. ſuis medic. pract. Vol. I. pag. 536. et Favvarcquum §. 2.

§. 22.

White 1) Riverius 2) Manning 3) Butter 4) Denman 5) Stoll 6) Frank 7) Vogel 8) Lentin 9) etc. ac-

---

1) Vid. White Abhandlung etc. Leipzig 1755.

2) Vid. Riverii praxin med. Lugd. Batav. 1970.

3) Vid. Manning Treatiſe on female diſeaſes London 1776. Ch. 20.

4) Vid. Butter on Acc. of the puerp. fev. Lond. 1775.

5) Vid. Denman Eſſay on the puerp. fev. Lond. 1768.

6) Vid. Stoll. rat. med. T. II. p. 57.

7) Vid. Noltes Diſſ. de feb. puerp. Goett. 1785.

8) Vid. Vogel Handb. für angeh. Aerzte, T. II. p. 248.

9) Vid. Lentins Beiträge zur ausübenden Arzneiwiſſenſchaft. Leipz. 1789.

accumulationem biliofarum putridarum et aliarum cruditatum, partim in primis viis haeſitantium, partim etiam reſorbtarum aut in ſanguine generatarum et circulationem perturbantium accuſarunt.

§. 23.

Etſi extra omnis dubitationis aleam poſitum, plurimis in caſibus hanc febrem gaſticam, ſicque his ex cruditatibus ortam, non minus certum eſt, illam ſaepe inflammatoriam imo ut ipſe Vogel l. c. obſervavit nervoſam, ſicque ſaepe non ſemper gaſtricam eſſe.

Nunc plurimis opinionibus magni momenti tractatis, ſpatio plura dicere deficiente, ad rem ipſam progrediar.

§. 24.

Veſpera ſecundae vel tertiae aut ſextae a partu diei, interdum citius, raro ſerius puerperae vehementer et repente horreſcunt atque rigent. Capitis dolor et anxietates, nauſeae, vomitus bilioſi et virium proſtratio horrorem comitantur 1).

Interdum nullus horror febrem praecedit et ſudores putridi et ſuſpecti cum nauſea, vomitu et alvi fluxu ſuccedunt. Horrorem calor ingens ſequitur. Pulſus toto coelo diverſus, ab initio tantum paullulum plenior et velocior, progrediente malo autem celer et parvus cum anxie-

---

1) Whiteus animdvertit horrorem, more febrium intermittentium irregularium interdum reverti et in continuum transire.

xietate, ſuſpiriis, deiecto animo, laſſitudine et magna debilitate, fit. Die ſecunda ab initio febris aegrota de dolore vehementi in regione epigaſtrica, qui interdum usque ad ſcapulas protenditur, queritur. Abdomen intumeſcit et ceſſante diarrhoea, ſignum lethale eſt, praeſertim ſi venter ſimul attollitur et partes circa regionem epigaſtricam dolent. Vultus feritatem prae ſe fert, artus tremunt, genae rubent, labia liveſcunt, reſpiratio cum pinnis narium deductis fit. Nonnunquam lochia rite fluunt, et ſi ſubſiſtunt, non ſymptomata maligniora oriuntur 1) Mammae nunc lacte turgent nunc laxae ſunt.

---

1) Whiteus etiam animadvertit, quod lochia, ſi parciora exſtillant, valde foetaent.

ſunt. Lingua alba et humida brevi cruſta mucoſa contegitur aut exſiccatur, nigricat, indureſcit et interdum uti etiam dentes materia fuſca inquinatur. Alimenta vomitu rejiciuntur exceptis frigidis et acidulatis. Alvi deiectiones haud raro tam copioſae, frequentes et putridae ſunt, ut totam domum foetore, et univerſam familiam contagione inficiant. Quandoque aegrotae teneſmo moleſto torquentur crebroque mingendi nixu, quem uteris dolores et inflationes comitantur. Caput, pectus, dorſum, latera, coxendices et ilia cum tuſſi et ſpiritus difficultate dolent. Relevati poſt quamlibet egeſtionem attamen excrementa et urinam contra voluntatem mittunt et his modo citius modo ſerius ſudores colliquativi, ſingultus et con-

vulſiones accedunt. Dies undecima exitium affert, quamquam quidam vitam iam intra quatuor et viginti horas amiſerint. Urina craſſa interdum pallet aut a filamentis innatantibus turbatur. Non rarum, ſi medicamenta calefacientia adhibentur aut ſudoribus promovendis nimium indulgetur exanthemata miliaria alba et rubra etc. ſemper ſymptomatica 1) erumpunt.

Dolor abdominis totius, hypogaſtrii et uteri regionis maxime tam ſaevus, ut attactum leviſſimum aegrae extimeſcant, aliquot dies poſt partum adgreſſus, ſignum caracteriſticum febris puerperalis eſt.

§. 25.

1) Whiteus enim recte adnotat diarrhoeam ſolam, inter omnia ſymptomata, in febre puerperali, criticam eſſe poſſe.

§. 25.

Ex iis, quae ſupra dixi adparet, cauſam proximam febris puerperarum, non unam, ſed ex multis compoſitam eſſe. Ego quidem modo accumulationem bilioſarum, putridarum et aliarum cruditatum in primis viis, modo ſuppreſſionem fluxus lochiorum, modo retentionem lactis, nunc autem inflammationem peritonaei, omenti, inteſtinorum aut tandem uteri, veriſimillimas cauſas eſſe, cenſeo.

§. 26.

His ex cauſis primariis febris puerperalis omnes complicationes explicari poſſunt. Quare hoc in caſu antiphlogiſtica in alio autem evacuantia maximam utilitatem et exitum optatum adferunt.

§. 27.

§. 27.

Cauſae praediſponentes febris puerperarum ſunt *a*) Atonia inteſtinorum et vaſorum abdominis per graviditatem et partum genita, magna cum ſenſibilitate coniuncta. *b*) Vita ſedentaria, praeſertim cum appetitu non mediocri, cibisque indigeſtibilibus. *c*) Neglecta alvi retentio in graviditate, quam accumulatio cruditatum bilioſarum, mucoſarum, putridarum etc. ſequuntur.

Hulmius adhuc nimios labores tempore graviditatis toleratos, Whitheus e contrario aerem impurum, alimenta ex animali genere, potum calidum et calefacientem, aſſiduum in lecto decubitum, cubiculum anguſtum, occluſum, et nimis calefactum, atque imprudentem rerum aromatica-

ticarum uſum, tempore geſtationis, accuſat.

§. 28.

Cauſae occaſionales variae ſunt. Partus difficiles puerperam debilitantes, imperiti partus adiutores uterum vulnerantes etc. placentae violenta extractio et partes illius vel ſanguinis coagulati retentae, putreſcentes, ſanguinem ipſum inficientes et circulationem turbantes. Neglecta alvi exoneratio. Vitium diaetae, regimen ſudoriferum. Omnes motus animi. Aer incarceratus mephiticus, refrigeratio praeſertim autem perflatus aeris. 1) Criſis incompleta

1) Vid. Cl. Zeller. Bemerkungen über einige Gegenſtände der Entbindungskunſt, Wien 1783.

pleta febris lacteae 1). Conſtitutio epidemica, tempus anni etc.

§. 29.

Ab omnibus aliis morbis, febris puerperalis eo dignoſcitur, quod ſolis in puerperis a primo uſque ad decimum quartum diem poſt partum, cum dolore vehementi circa epigaſtrium, usque ad umbilicum, cui intumeſcentia abdominis vix tactum permittens, comitem ſe addit, oriatur.

§. 30.

Cum haec febris autem non genus morbi proprium conſtituat, ſed in inflammatoriam, gaſtricam, putridam et nervoſam, ut aliae, dividatur, hic

1) Vid. Selle Medic. clinica, pag. 541.

hic diagnoſin harum febrium tractabo.

§. 31.

Signa caracteriſtica febris puerperarum inflammatoriae, (quibus ab aliis ſc. gaſtrica, putrida et nervoſa, dignoſcitur), ſunt: pulſus plenus, durus, celer interdum tenſus, parvus, inaequalis, lingua pura et ſicca, alvus obſtructa, urina rara, partum difficilem, rudiore manu adſiſtente, ſuppreſſionem fluxus lochiorum, lac retentum, perflatum aeris et epidemiam inflammatoriam ſequentia. Praeterea etiam a ceteris facie rubro, calido et tumente, oculis fulgentibus, ſenſibilibus; ſiti magna, guſtu integro, abdomine tam ſenſibili, ut attactus minimus intolerabilis fiat, dignoſcitur.

§. 32.

§. 32.

Sequentibus ſymptomatibus gaſtrica puerperarum febris ab aliis dignoſcitur. Pulſus eſt celer, mollis, interdum plenus, raro durus, lingua eſt membrana pituitaria, livida obducta, nunc alvus obſtructa, nunc diarrhoea bilioſa, et urina cum ſedimento modo latericio ſpiſſo, obſcuro nunc bilioſo adeſt. Haec febris poſt animi motus, praeſertim in regione calida, nutrimenta difficilia digeſtu, inopiam vegetabilium et tranſpirationem ſuppreſſam oritur. Adhuc ex faciei colore flavo et pallido, oculis fulgentibus, appetitu deficiente, praeſertim faſtidio animalium, guſtu amaro, acido et talibus ructibus, plenitndine quadam circa ſcorbiculum, et inclinatione non ſolum vomendi ſed ſaepe etiam vomitu ipſo agnoſcitur.

§. 33.

Febris puerperarum putrida, ab aliis pulſu celerrimo, parvo, debili, 1) lingua rubra, ſicca, dirupta et cruſta nigra mucoſa atque aphtis obducta, diarrhoea, ſudoribus, haemorrhagia et petechiis ſymptomaticis, urina pallida, nigra, ſpiſſa, foetida et mutabiliſſima, diſtinguitur. Praeſertim coagulatis ſanguinis partibus aut placenta in utero retentis, lochiorum fluxu ſuppreſſo; cruditatum mucoſarum, bilioſarum etc. accumulatione in putrdinem tranſiente obſervatur. Ceterum hac in febre calor ardens aegrotam tangenti creſcendo augeri videtur. Facies

1) Mirum, aegras pulſu in vigore morbi, debili, delirias habere, creſcente autem illo, liberas ab illis eſſe.

cies porro ſordida et livida cum oculis impuris et vitreis, nauſea nutrimentorum praeſertim animalium, ſitis nunc inſatiabilis, guſtus putridus, deliria cum voce fracta, lapſus virium gravis et ſubſultus tendinum puerperis ſunt.

§. 34.

In febre puerperarum nervoſa ſymptomata ſequentia caracteriſtica ſunt. Pulſus hic variabilis modo parvus, debilis, duriuſculus nunc celer aut lentus, lingua alba, ſicca aſpera et tremens, urina autem ſpiſſa, foetida, clara, et tenuis cum nixu mingendi eſt. Deliria, convulſiones, inſomnia et propenſio vomendi, ſine turgeſcentia cruditatum adhuc ſigna diagnoſtica huius febris ſunt.

§. 35.

§. 35.

Quamquam ſcriptores diverſas in ſententias abeunt, eo tamen, periculoſiſſimum et graviſſimum morbum eſſe, conſentiunt. A prognoſi aliarum febrium differt, niſi quod ob virium a partu maiorem debilitatem, lochiorum ſuppreſſionem et alia puerperarum incommoda multo acutior et periculoſior ſit, ſicque maius periculum, quo citius mulierem a partu corripuerit atque ab initio neglecta fuerit, afferat.

§. 36.

Signa fauſti exitus cruciatus ventris inminuti, abdomen detumeſcens et molle factum (etſi interdum nihilominus exitium ſequitur, ut Frank obſervavit). *a*) facilis in utrumque latus converſio, fluxus lochiorum

non

non inhibitus aut ſe ſiſtens ſunt. Praeterea diarrhaea critica et levans pulſum tardiorem et rariorem efficiens atque die tertio aut quarto adparens, (alias enim ſi prius incipit periculoſa et ſymptomatica eſt) ſalutaris eſt. Urina turbida craſſa copioſe miſſa cum ſedimento flaveſcente aut leviter rubro, et ſudores univerſales, die criticò, pulſu lentiori, ſuccedentes, optima indicia praebent. Reſpiratio liberior facta, lingua humida mollis et rubra, tendinum ſubſultus ſedatus, mammae lacte turgeſcentes per totum morbum, vires naturae indebilitatae, et abſceſſus critici in regione epigaſtrica orti, non minus optata ſymptomata ſunt.

§. 37.

§. 37.

Signa pravi exitus e contrario ſunt, dolor ventris acerbus cum inflatione, praeſertim cum pulſu parvo et celeri, difficultate ſpirandi et diarrhoea ſymptomatica coniunctus. Si ſecretioni lactis oppreſſae vel plaue ceſſanti, ſudori viſcido, frigido partiali praeſertim circa extremitates, 1) linguae aridae, aſperae, nigrae et variegatae, livido colori genarum, naturae viribus debilitatis, vitae ſedentoriae, ſtatui epidemico etc. ſe adhuc vomitus virides aut nigri, ſine levamine, abdomen non ſolum praeter naturam tumeſcens et durum, ſed etiam fervidum aut frigidum, inquietudines, tendinum ſubſultus, obſcuritas

1) vid. Hulme l. c.

ritas tanta, ut, licet lumen ante earum oculos ponatur, tamen nihil videant, ac pulſus celerrimus ac tam humilis, ut pulſationes vix numerari poſſint, ſociant, mors ante foras eſt.

§. 38.

Qua ratione febris puerperalis curari debeat, hic non minus ſententiae medicorum variae exiſtunt, praeſertim quod ſanguinis miſſionem attinet. Quisquis ſententiam ſuam ſequitur et modo evacuantia modo antiphlogiſtica aegrotantibus porrigit, aut ſolummodo copioſas ſanguinis miſſiones inſtituit. De la Roche venaeſectionibus favet, Stoll e contrario emetica et alvum exonerantia omnia praeſtare contendit.

§. 39.

His remediis autem non idem praeſtantibus in febre puerperali, cum modo inflammatorius, modo gaſtricus, nunc putridus aut nervoſus ſtatus praedominetur, ſine maximo detrimento, vel ſola evacuantia aut methodus antiphlogiſtica, in toto ambitu ſuo, adhiberi non poſſunt.

§. 40.

His conſideratis adparet, febrem puerperalem optime ſecundum modificationes ſuas in inflammatoriam, gaſtricam, putridam et nervoſam dividi.

§. 41.

Febrem puerperarum inflammatoriam autem re vera et quidem in-

mixtam interdum exiſtere nemo, qui obſervata tam Cl. virorum Kirkland, 1) Leake, 2) Murſinna, 3) de la Roche, 4) Thompſon, 5) et Zeller 6) legit, negabit. Quomodo tam mul-

---

1) Vid. Kirkland Verſuch über die Kindbettfieber, Gotha 1777.

2) vid. Leake Bemerk. über Kindbettkrankheiten, Leipz. 1775.

3) Vid. Murſinna Abhaudl. von den Krankheiten der aSchwang. Gebährenden und Wöchnerinnen, Berl. B. II. 1786.

4) Vid. la Roche Recherches ſur la nature et traitement de la fiebre puerperale, Paris 1783.

5) Vid. Thomſon Medical conſult. on vavarians diſeaſes überſezt von Marcar 1779.

6) Vid. Zeller Bemerk. aus der Entbindungskunſt, Wien 1789.

multae puerperae mere venaeſectionibus morti eripi potuiſſent, niſi febris inflammatoria vera adfuiſſet.

§. 42.

Methodus antiphlogiſtica in toto ambitu ſuo adhibita omnia, in febre puerperali inflammatoria, perficit.

Interne optime datur nitrum a drach. $\frac{1}{2}$ uſque 2 praeſertim in obſtructionibus aut diarrhoeis criticis, in ſymptomatibus autem nimium debilitat atque irritat.

In alvi deiectionibus ſal ammoniacum, nitro, quia magis reſolvet et minus debilitat, praeferendum eſt.

Acida vegetabilia et quidem praeſertim acetum vini deſtillatum praecipua ſunt.

Succus citri et aurantiorum, is ſaepe adhuc praeſtantior aceto vini, quia ſanguinem non tantum in fervorem agitat.

Oxymel ſimplex a Brendelio et quidem non inmerito, uſque in coelum elatum.

Externe optime adhibentur venaeſectiones univerſales a X uſque XVI uncias, ſic ut ſpatio quorundam dierum ſaepe IV tib. aegroto detrahantur. Has venaeſectiones partiales, cucurbiculae ſiccae atque hirudines, illis praeſertim fluxu lochiorum ſuppreſſo, vaginae adplicatae, anteponendae, optimo cum ſucceſſu ſequi poſſunt.

Clyſteria refrigerantia, emollientia et alvum aperientia. Duo ſaltem

ma-

maximo cum fructu, adplicanda ſunt, cum non ſolum inflationem et dolorem ventris atque capitis acerbum admodum minuunt, inquietudines et oppreſſiones quaſi praecordiorum levant, ſed etiam alvum exonerant. Illis, ex decoctis radicis gram. tarax. cichor. herbae malv. millefol. florium chamomil. melilot. decorticatae aven. hord., ſero lactis lacte ebutirato cum ſal. mirabl. Glauber. nitro, ſale ammoniaco, melle, recenti oleo lini etc. coniunctis, optimo cum effectu utuntur.

Fomentationes emollientes et antiphlogiſticae in abdomen adplicatae, unguenta lenientia et ſpaſmos mitigantia.

§. 43.

Febris puerperarum gaſtrica omnibus aliis frequentior eſt, quare in illa

illa etiam emetica et alvum exonerantia prae omnibus a Celeberr. viris commendantur, ſatis mihi Stoll 1) Selle 2) Hufeland 3) Frank 4) Richter 5) Archier 6) Walſch

6) Vid. Stoll. rat. med. P. II. p. 57.

3) Vid. Selle Medicina elinica Berl. 1786. pag. 547.

4) Vid. Hufeland Bemerkungen über Milchverſezzungen und Kindbetterinnenfieber in Starks Archiv B, 2. St. 2. p. 84.

4) Vid. Noltes Diſſ. de febre puerperarum Goett. 1285. §. 14.

5) Vid. Richter Bemerkungen über die Entſtehung und Behandlung verſchiedener Arten von Fiebern, und in ſeinen Beiträgen zur practiſchen Fieberlehre, Berl. 1795. p. 388.

6) Vid. Archies en Journal de Médecine, Chirurgie, Pharmacie etc. Avril 1784. pag. 374.

Walſch 7) Stark 8) et Lentin 9) nominaſſe erit.

Cum extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt hanc huius febris modificationem non ſolum interdum, ſed etiam pluries, quam omnes aliae ſimul, exiſtere, inneceſſarium, exiſtentiam ſuam probare eſt.

§. 44.

---

7) Vid. Walſch practiſche Bemerkungen über das Kindbettfieber aus dem Engl. Leipz. 1788.

8) Vid. Stark Archiv für Geburtshülfe P. 2. St. 2.

9) Vid. Lentins Beiträge zur ausübenden Arzneiwiſſenſchaft. Leipz. 1789.

§. 44.

Hic praecipuum indicans eſt ea via, qua ſordes turgent, eas elicere, et ſi adhuc immobiles ſunt per ſal mirabl. Glauberi, tart. tartariſatum, terram foliatam tartari, tart. emet. in doſ. refract., ſal tartari cum acido citri ſaturatum, oxymel ſimpl. et extractum graminis atque taraxaci reſolvere.

§. 45.

Si ſordes ſurſum turgent optime per emetica et quidem ipecacuanham aut tartarum emeticum egeruntur, hic aptior eſt, ſi ſordes nondum iuſto mobiles ſunt, illa autem locum ſuum contendit ſi emeticum tantum ſurſum non deorſum vim ſuam exerere intereſt, quare illa etiam illi-

co

co a granis 15 uſque drach. $\frac{1}{2}$ et quidem in forma mixturae cochlearibus usque ad effectum ſufficientem optime datur. Sequentibus diebus indiciis remanentibus aut redeuntibus emeticum repetatur. Alvo obſtructa clyſteria emollientia et non irritantia indicata ſunt et interdum adeo multa ſymptomata perniciofa anxietatem, inquietudines, capitis dolores, imo febrim ipſam et metaſtaſes lacteas malignas fugant et praecavent.

§. 46.

Infarctibus autem deorſum turgentibus, potio Vindobonenſis, manna calabrina electa, ſal Polychr., ſal mirabl. Glauber. arcanum dupl. in ſufficiente quantitate aq. calid. ſolutum, cremor tartari ſolubilis, pulpa

pulpa tamarindorum et rhabarbarina adhibenda et ob nimiam ſenſibilitatem viſcerum plerumque cum gummi arabico aut radice columbo coniungenda ſunt; eundemque in finem Tiſſot 1) et Burſerius a Canifeld 2) olea expreſſa, praeſertim oleum amygdalarum a 4 uſque 6 unc. commendant, atque etiam in tali ſenſibilitate et irritabilitate viſcerum re vera optima remedia ſunt.

§. 47.

---

1) Vid. Tiſſot von den Nervenkrankheiten überſezt von Weber Tom. III. pag. 164.

2) Vid. Burſerii Inſtit. med. pract. Cap. de febre gaſt. hic negat recens oleum ranceſcere et ſic nocere, ſique id quis .imeat ſuadet acidum citri aut oxymel oleo addere.

§. 47.

Thompſon 1) White 2) Murſinna 3) et Frank 4) belle teſtantur antiſeptica ſaepe, in modificatione huius febris putrida, quam febrem puerperalem putridam nomino, unica remedia eſſe.

Prae omnibus hic ſordium putridarum primarum viarum evacuatio, putredinis reſiſtentia et virium vitalium conſervatio indicantur.

1) Vid. Thopſon loco citato.

2) Vid. White l. c.

3) Vid. Murſinna l. c.

4) Vid. Frank in Noltes diſſert. de Febre puerperarum, Gottingae 1785.

§. 48.

Sordium putridarum evacuatio remediis, quae in curatione febris puerperarum gaſtrica indicavi, adiuvatur.

§. 49.

Putredini optime reſiſtitur acidis mineralibus e. g. ſpiritu vitrioli et elixir acido Halleri, quae, vi vitali nondum admodum debilitata, indicantur, potui puerperae addendis et poſtea cum china coniungendis. Alumen per totum diem uſque ad drach. ij praeſertim cum decocto chinae in alvi fluxu, haemorrhagiis et ſudoribus colliquativis optato cum effectu datur. China ab unc. ij uſque iv. ſordibus nempe ſublatis et inflammatione iam disiecta, mira praeſtat.

Ar-

Arnica, rad. angelic. contraierv. ſerpent. virg. etc. non minus efficacia ſunt. Clyſteria antiſeptica ex china, cort. quercin. arnic. camph. acet. vin. et aere fix. uti etiam balnea antiſeptica a Bilguer commendata ex flore chamom. cort. querc. et nitro bono cum eventu non raro adhibentur.

§. 50.

Vis vitalis optime per camphorata, vinum merum, rad. ſerpent. virgin. angelic. valerian. moſchum praeſertim in ſubſultu tendinum et muſculorum faciei convulſionibus, a gr. 5 uſque 20 quotiescunque hor. 2-3 praeterlapſis, cum ſaccharo aut liq. anod. mineral. Hoffm. datum; phoſphorum 1) liquorem C. C, ſuccin.

1) Vid. Frizens med. Annalen Band 1. pag. 360.

cin. veſicatoria in ſuras, fomentat. frigidas in abdomen et genitalia adplicata fulcitur et excitatur.

§. 51.

Quod tandem febrem nervoſam puerperarum attinet, omnibus aliis modificationibus huius febris quidem rariorem, nihilominus tamen quondam re vera nervoſam eſſe credo. Quasdam modificationes non aliter quam nervinis curari poſſe et nervoſis ſymptomatibus ſublatis totum morbum ſublatum eſſe nemo negari poteſt. 1)

§. 52.

---

1) Vid. etiam Cl. Vogel l. c., qui pluries febres cum ſymptomatibus nervoſis (et quid id aliud, quam febres nervoſae verae fuerunt) vidit.

§. 52.

Hic praecipue ſuſtentatio virium vitalium, per remedia in febre puerperali putrida relata, et adiuvatio transpirationis indicantur.

§. 53.

Tranſpiratio per rad. angelic. ſerpent. ſeng. valerian. camphorata ſpirit. Mind. ſpirit. C. C., liquor. C. C. ſuccinatum, moſchum, opium, emetica refractis in doſibus, balnea tepida, rob. ſambuci etc. adiuvatur.

§. 54.

Jamiam quatuor modificationibus febris puerperarum tractatis, adhuc de ſymptomatibus modo hac nunc in illa obviis differendum ſupereſt. Talia ſymptomata ſunt diarrhoeae,

Me-

metaſtaſes lacteae, lochia ſuppreſſa, ſpaſmi, deliria, hemorrhagiae et ſudores nimii etc,

§. 55.

In diarrhoea nimis vehementi 1) evacuantia plerunque neglecta ſunt, quare hic acrimonia viſcera irritans ante omnia involvenda et lenienda eſt, quem in finem mixtura River., gummi arabicum, radix Columbo ſalep. olea etſi nihil prodeſt opium apte adhiberi poſſunt.

§. 56.

Si deliria, convulſiones et ſpaſmi ſubito oriuntur, ſuſpicio metaſtaſium lactis adeſt et ſolum adhuc per cataplaſmata in mammas adplicata, exſuctionem earum, (quae optime antlia

ſtia lactis Cel. Steinii aut Thedenii fit) cucurbicula ſicca et potu tepido evitari poſſunt. Saccis puris jam ortis Thedenii faſcia expellens adhuc adplicanda eſt.

§. 57.

Lochia ſuppreſſa vel ſequela febris, ubi cauſis ipſius ſublatis, ſponte redeunt, vel cauſae adiunctae ſunt; hic modo ex refrigeratione, modo animi pathemate, nunc autem ex ſpaſmis ſupprimi poſſunt.

Quaevis cauſa remediis ſuis tollenda eſt, vulgo autem clyſteria emollientia, lavacra tepida, immiſſiones calidae in vaginam per ſiphonem, cataplaſmata tepida in genitalia, hirudines in labia pudendorum, cucurbiculae in femur et venaeſectio in pede cum ſucceſſu adhibentur.

§. 58.

§. 58.

Spaſmi, caſtoreo, valeriana, aſa foetida et opio interne atque in clyſteriis dato remittunt.

§. 59.

Deliria fomentationibus frigidis praeſertim Schmukeri in caput adplicatis et ſaepe renovatis uti etiam ſinapiſmis inter humeros aut in ſuras poſitis, cedunt.

§. 60.

Haemorrhagiae et ſudores ſymptomatici tandem alumine praeſertim cum decocto cort. peruv. magnis in doſibus ſiſtuntur.

§. 61.

§. 61.

Quod diaetam adhuc attinet haec ex alimentis facilibus concoctu, refrigerantibus et ſanguinem diluentibus conſtare debet, quare ſequentes cibi apti ſunt: Juſcula ex ſago, oryza, ptiſanis praeſertim margaritarum ſpeciem referentibus, ceraſis, baccis roſae caninae et ſimilibus facta, obſonia tenera, ſpinacia, lapathus, lactuca, intubus, braſſica botrytis, aſparacus, daucus, pomum recens, ceraſa, mala, pira, uvae, fraga, baccae, rubi idaei ribium, morae etc.

Omnia ſanguinem ad fervorem excitantia et indigeſtibilia nocent.

Potus optimi ſunt decoct. rad. Gram. Tarax., Cichor. Hord. et Ceraſum, quibus oxymel ſimpl., nitrum, ſal et eſſentia tartari, ſuccus citri et aurantiorum atque acetum vini additum eſt.

Ceterum puerpera in valetudinario mediocri tepido, cui aëris aditus patet, morari, lodicem levem habere, lintea ſaepe permutare et ſe in lecto erigere debet, ne nimium dormiat. Recte enim Cl. Stoll in aureo ſuo opere, rationis medendi Part. III. pag. 109. dicit: „ Res maximi momenti fuit, „ Aegros lecto eximera, et ſedili „ imponere, ut erecti a ſomno pro„ hiberentur. Nemo niſi expertus „ novit, quantopere ſomnus febrim „ incendat, vigiliae vero et coacta

„ a

„ a ſomno abſtinentia eandem re-
„ ſtinguat et mentem a delirio prae-
„ ſervet.

§. 62,

Sed memoratis iam in praefatione cauſis ad finem propero, et tantum verba pauca faciam, quomodo haec febris maligna plurimis in caſibus praecaveri poſſit. Sequentia remedia hanc in finem efficaciſſima ſunt: Alimenta digeſtu facilia, motus corporis mediocres et frequentes, emetica et laxantia, durante graviditate et praeſertim ultimis in menſibus clyſmata non ſolum in obſtructionibus, ſed etiam praeſentibus flatibus.

Potio antiphlogiſtica alvum exonerans primis in diebus poſt partum

tum 1) uti etiam clyſteria emollientia et alvum aperientia, infantis ad mammas primis in diebus non praetermiſſa admotio, evitatio omnium animi motuum atque diaeta, et valetudinarium uti ſupra fuſe oſtendi. Tantum.

---

1) Vid. Hufeland, Richter l. c. und Schäffer mediz. Oertbeſchreibung der Stadt Regensburg, pag. 141.

THESES.

I.

Nullum conſtans ſignum, deſceſſu per alvum excepto, neque remedium vermium habetur.

II.

Febris intermittens non ſemper corticem peruvianum poſcit.

III.

Olea expreſſa, in viſcerum ſenſibilitate nimia, optima laxantia ſunt.

IV.

Exanthemata miliaria atque petechiae rariſſime criticae ſunt.

V.

V.

Placenta nunquam ſtatim poſt partum, niſi haemorrhagia uteri poſtulat, educenda eſt.

VI.

Si cuti in amputatione parcitur, curatio celerior, (nempe per reunionem) quam vice verſa, fit.

VII.

Scirrhus tanquam cancri cauſa praediſponens reſpici poteſt, quum is quavis accedente cauſa occaſionali in talem mutetur.

VIII.

In ſcirrho vero exciſio ſolummodo juvat.

VIRO PRAENOBILISSIMO

ATQUE

AMICO DILECTISSIMO, SUAVISSIMO

HENR. FRIEDER. GUILIELMO

ESKUCHEN.

Medicinae Doctorando

S. P. D.

OPPONENS

FRIEDERICUS FERDINANDUS

FRANZ

Medicinae Doctorandus Trarbacô-Moſellanus.

Hodierna luce, quo gaudio perfundar, nemo ſentit, quam qui amicitiae meae, erga Te, copiam ſcivit; quum Tu amice ſuaviſſime, cuius couſuetudine et amore, per triennium uſus ſum,

F *et*

et qui Te ſemper amiciſſimum praeſtitiſti, hodie mercedem diligentiae et ſtudiorum, quorum ardentiſſimus cultor ſemper fuiſti frontem laurea cinctam habebis. — Certe nemini adhuc Perilluſtris et gratioſa facultas medica, almae Academiae Marburgenſis lauream tam bene meritam ante Te tribuit, qui ſemper ſagaciſſimus morborum indagator, et morbis laborantibus ſolatio et ſaluti fuiſti; cuius et ego, et ora tot pauperum, vitam et quod excelluit ſanitatem Tibi debentium teſtes ſunt! Sed proh dolor! jam Te manibus meis ereptum, et vinculum noſtrum arctiſſime

initum

initum diſreptum lugeo: ſed ſequere fata; vade in patriam, ſis parenti, affinitati, et tot aegris de manibus tuis auxilium exſpectantibus gaudio et auxilio. Et ſi quando et ego in patriam redux ero, ſis memor mei, et favere perge, etiam atque etiam oro rogoque!